

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA,
DE

IVRE AGGRATIAN-
DI PRINCIPIS EVAN-
GELICI IN CAVSIS
HOMICIDII,

Bon dem
Recht eines Evangelischen Fürsten
einem Todtschläger das Leben
zu schenken,

QVAM
P R A E S I D E

DN. CHRISTIAN. THOMASIO,
ICTO, SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS BORVSSIAE CON-
SILIARIO, PROFESSORE PVBL. ORDIN. ET FACVLT. IVRID. h. t. DECANO,
IN ALMAE FRIDERICIANAE AUDITORIO MAIORI


PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES ET DOCTO-
RALIA PRIVILEGIA RITE CAPESSENDI,
D. XXI. IVN. MDCCVII. HORIS ANTE- & POMERIDIANIS,
PVBLICO ERUDITORVM EXAMINI SVBMISIT.

REMBERTVS CLÜSENER,

LIPPIA - GVESTPHALVS.

Recusa HALAE MAGDEBURGICAE, 1739.
LITERIS CHRIST. LVDOV. SYMPHERI, ACAD. TYPOGR.

(7)





B. C. D.
DISSERTATIO IN AVGURALIS
De
IVRE PRINCIPIS
EVANGELICI AGGRA-
TIANDI HOMICIDAS.

CAPVT I.

Monita generalia de rite formanda
quæstione & eius probatione.

§. I.



uotquot inspexi autores, qui de quæ-
stione hac secundum communiter re-
ceptam sententiam scripserunt, &
principibus euangelicis ius aggravan-
di homicidas negarunt, in eo com-
muniter peccarunt, quod vel non
rite formauerint statum controversiæ, vel ad defi-
niendam quæstionem properauerint sine debita expli-
catio-

A 2

Formatio. st. a.
tus contro-
uersiæ.

4 Dissert. Inaug. de iure principis euangel. aggrat. homicidas.

catione terminorum quæstionis, vel probationes inconuenientes adhibuerint, & sic vbiique miscuerint quadrata rotundis. Nec ab iis defectibus plane immunes sunt pauci, quos subinde in deductione sententiaæ nostræ allegabimus. Igitur ut hos scopulos evitemus, ante omnia rite formandus erit status quæstionis. Quæritur ergo: *utrum princeps euangelicus habeat ius aggreditandi in homicidio doloso?* Nos affirmamus cum paucis. Negant communiter.

§. II.

*Depositiō ter-
minorū:
1) Principi.
Quid magi-
stratus politi-
ous?*

Dum Principem dicimus, intelligimus in genere eum, qui *τὸν κύρον* gerit in rep. seu qui summam in rep. potestatem habet, siue resp. sit monarchica siue aristocratica, siue democratica, h. e. siue unus sit, siue plures, siue totus populus. In locis communibus thologicis vocari solet magistratus politicus. Vtrum congrue, huius loci non est expedire. In terminis simus faciles, modo in re ipsa conueniamus. Id constat, terminum magistratus politici a theologis protestantibus non esse inuentum, sed iam tempore reformationis eum in usu fuisse ICtis pariter & theologis pontificiis, et si magistratus propriè denotet in politicis, & in significatu nativo linguae latinæ eum, qui intermedium potestatem gerit in rep. a summa dependentem. Atque adeo hæc vox parum congrua a theologis pontificiis ideo de potestate summa politica, i. e. ciuili, fuit adhibita, vt eo commodius insinuare possent laicis eos saltē magistratus esse, summam vero reipublicæ potestatem esse penes potestatem ecclesiasticam, quod arcanum Theologi & ICti protestantes non sentientes vocem retinuerunt, et si errorem sub illa occultatum reiecerint, docentes videlicet, Christi doctrinam non abolere politiam, i. e. non contradicere, doctrinas in scriptura

ptura noui fœderis contentas principiis sanis & rationalibus doctrinæ politicae, & potestati ciuili non opponi in republica potestatem aliquam ecclesiasticam, sed regnum saltem spirituale Christi, quod scilicet in corde notitiam (saluificam) Dei, timorem Dei, fidem, iustitiam æternam & vitam æternam inchoet, quod patrit saltem effectus inuisibilis intuitu futuræ vitæ, nullos intuitu effectuum politicorum. Item ministros verbi diuini esse subditos magistratus politici, h. e. ut ab omni tempore fuit doctum a veris Christianis, quod respublica non sit in ecclesia, sed ecclesia in republica. (a)

§. III.

Vt vero recta ratio docet, & scriptura nunquam contrarium dicit, non potest in republica esse nisi una summa potestas, & contradic̄tio politica est, respublika biceps, i. e. duplex summa potestas, altera politica, altera ecclesiastica, quarum una ab altera sit independens. Et reuera, si papatum politice consideres, est hic fundamentalis & capitalis error papatus, quod dupl̄icem potestatem tales in republica independentem statuant, & sic ecclesiam nolint esse in republica. (b) Vnde non poterimus intuitu doctrinæ politicae de reformatione debita gloriari, si ista hypothesis pontifícia fouetur in Academiis protestantium, & sic pretiosissimum regale principum protestantium culpa & negligētia docentium damnum patiatur.

§. IV.

Cum vero viuamus in imperio Romano - Germanico, & disputationis iuris academicæ ad usum

A. 3

*vnam esse
summam po-
testatem in
rep. non duas,
ecclæasti-
cam alteram,
alteram poli-
ticam.*

*Ad quæstio-
nem præsen-
tem etiam
pertinere sta-
tus imperii.*

(a) Vide Aug. Confess. art. 16. Apolog. p. 215. seq. Epitomen Formis-
tie Concordie c. 12. p. 624.

(b) vid. Pufend. Introd. ad Histor. c. 12. §. 5. seq.

6 Dissert. In ang. de iure principis euang. aggrat. homicidas.

practicum debeant esse aptæ, non hæsitare quispiam in formatione status controværsiæ debet, ac si sub nomine *Principis* in quæstione haud intelligamus status imperii, cum hi non habeant maiestatem, sed superioritatem saltem territoriali sint prædicti. Nolumus equidem hic expedire, an status imperii habeant maiestatem proprie dictam, quamvis quiuis facile percipiat, definitionem illius quæstionis dependere a quæstione præjudiciali, an res publica Germaniæ sit una res publica, an vero constet ex pluribus rebus publicis confoederatis. Sufficit, quod omnes, qui non crasse adulantur imperatori, fateanur, superioritatem territoriali esse maiestatis æmulam, aut analogam maiestatis, i. e. ea, quæ alias de iuribus maiestatis docentur, etiam applicari regulariter debere ad iura statuum imperii.

§. V.

(2) Euange-
lici. Annon
& Catholicis
idem ius
competat.

Quod autem de principe euangelico in specie quæstionem formauerim, non sine causa est factum. Evidem recordor, vel ideo, quod euangelium non abolet politias, nobis opponi posse, male restringi definitionem quæstionis ad principes saltem christianos, tantum abest, ut ad principes euangelicos solum debeat respectus haberi. Etenim si principes ex doctrina politica habent ius aggratiandi in crimen homicidii, habebunt pariter ethnici ac christiani, pariter ex christianis catholicæ, quam lutheranae aut reformatæ religioni addicti. Sed, quamvis hæc omnia se ita habeant, non tamen vitium nostrum est, quod principum euangelicorum fecerimus in quæstione mentionem. De ethnici ideo non sumus solliciti, quia per Dei gratiam viuimus sub principibus christianis.

Catho-

Catholici vero principes non possunt in quæstione præsenti iisdem iuribus gaudere ac principes euangelici, non, quod obstat iis doctrina politica, sed quod frui iuribus communibus aliorum principum nequeant salua religione, quam profitentur.

§. VI.

Eius enim potissimum caput est, quod papam agnoscant caput visibile ecclesiæ, & quod doctrinas a clero papali in doctrina de officio magistratus politici traditas esse falsas aperte & rectæ rationi repugnantibus habere cogantur pro articulis fidei. At euangelici principes, dum iugum papale excusserunt, ac ius circa sacra secundum principia genuinæ politices & iuris naturalis sibi vindicarunt, atque in usu eius per leges imperii confirmati sunt, sine dubio hac parte insigni gaudent prærogatiua præ principibus catholicis.

Prærogatiua
hac in parte
principum
euangelico-
rum pre ca-
tholicis.

§. VII.

Agendum vero nobis erit de iure aggratiandi, (2) Aggra-
de quo etsi multi multa dixerint & scripserint, non tandi Non
tamen omittenda est explicatio huius vocis sincero confundenda
veritatis indagatori, tanquam ea sit in vulgus nota. hec cum re-
Quin potius, si scriptores, qui de eo tractarunt, in- gulis aequi-
spexeris, deprehendes, a plerisque sub termino ag- tatis.

Aggratiandi Non
confundenda
hec cum re-
gulis aequi-
tatis.

Scilicet confunditur plerumque cum iure aggratiandi potestas aut potius officium principis remittendi aut minuendi poenam, ex doctrina interpretationis legum & aestimationis delictorum, quod nec principi proprium est, sed ipsic平um magistratibus & iudicibus quibusuis commune. Vnde communiter describitur, quod sit ius competens principi ex causa iusta

8 *Dissert. Inaug de iure principis euang. aggrat. homicidas.*

iusta remittendi aut mitigandi pœnam consuetam: (si dixissent debitam, forte definitio excusari posset.) Alii ius aggratiandi ad actus iusticiæ referunt ex eadem erronea hypothesi. Alii ius aggratiandi duplex faciunt, vnum, quod ex mera gratia fiat, alterum, quod ex iustis causis. (c) Debuisset vel vox ipsa doctores admonere, exaggerationem non pertinere ad actus iusticiæ, vnde & ICTi solent distinguere restitutionem ex capite iusticiæ, quæ & a iudice fieri potest, a restitutio- ne ex capite gratiæ, quæ soli principi propria est. (d) Obseruauit hanc confusionem solus, quod sciā Zieglerus. (e)

§. IIX.

(4) Iuris.
Quod hic non prolege, sed profacultate sumitur.

Dum vero de *iure* aggratiandi quæstio est, no-
tandum, non agi hic de præcepto, sed de licentia, id
est, per ius non intelligi legem, sed facultatem seu at-
tributum personæ. Vnde non confundenda quæstio
præsens cum alia, an non obstrictus sit princeps omitt-
tere pœnas capitales? quod recte negatur a nostris
contra Anabaptistas. (f) Sed queritur: Annon
prohibitum sit principi omittere pœnam capitalem
intuitu homicidii? At hæ quæstiones duæ valde dif-
ferunt. Nam posteriorem qui recte negat, is non nisi
per evidentem calumniam erroris Anabaptistici aut
Sociniani accusandus est, cum non neget iusticiam
pœnarum capitalium. Quod si forte ex imbecillitate
iudi-

(c) vid. Clasenium de *iure* aggratiandi, dissertationes sub Pruschenko,
Carpzouio, Struivo, Eichelio, de hac materia habitas.

(d) Schoepf. ad tit. ff. de sentent. pass. & restit.

(e) de iur. maiest. l. 1. c. 8. §. 4. & 5.

(f) Form. Concord. Epit. c. 12. pag. 624.

Cap. I. Monita gener. de rite formanda quæst. Seius probat. 9

iudicij immisceat etiam argumenta, quibus alias ana-
baptistæ vel sociniani in priore quæstione vti solent,
postulat tamen christiana charitas, vt ea de re potius
fraterne moneatur, quam vt hærefoes insimu-
letur.

§. IX.

Porro nec confundendum ius licentiæ cum eo
quod conductit. Vel apostolo enim id monente non
omne quod licet, conductit. Quæstiones de licentia ad
ius naturæ pertinent, de eo quod principi conductit,
ad politicam. Vti vero politica & ius naturæ com-
muniter confunduntur, ita & in hac quæstione. Si res
huius loci esset, facile ostendi posset, rigorem pœnarum
capitalium nec omnibus rebus publicis nec semper
conducere. Non tamen inde inferendum est, ergo nec
easdem esse licitas, nam ita facilis est lapsus in errorem,
quem modo notauiimus. Vnde mallem, vt vir claris-
simus, qui sub Iustiniani Clementis nomine latere voluit,
hæc duo accuratius distinxisset, quam ubique non fa-
ctum est in erudito alias tractatu Germanico hac de re
scripto. ^(g) Interim tamen & hic qui peccant potius ami-
ce admonendi sunt, quam vt hæretici vituperandi, cum
excusationem habeant non iniustum a communi errore.
Quid enim frequentius est in quæstionibus moralibus,
quam quod ea, quorum contrarium melius & utilius
est, referantur inter plane illicita.

*Neque con-
fundendum
ius cum eo
quod con-
ducit.*

§. X.

Porro cum dicimus principes euangelicos habere ^(s) *Quid sit*
ius aggratiandi homicidas, facile patet, quod hic magis *habere ius?*
respiciamus ad potentiam & facultatem, quam ad

B actum

(g) Von dem Amte einer Christlichen Obrigkeit in Bestrafung der
Nebelthäfer.

actum & exercitium. Vnde nobis non opponi potest, rarissime a principibus euangelicis hactenus hoc ius fuisse usurpatum. Vt enim exempla alias non probant ius, ita nec parentia exemplorum probare potest parentiam iuris. Multi forte voluerunt istud ius exercere saepius, nisi ab errantibus bona fide, aut iis, quorum interest reliquias arcanorum papalium apud protestantes conseruari, istud exercitium istis fuisse dissuasum. Non tamen, credo, nobis opponi poterit alias canon philosophiae primae, frustra esse potentiam, quae nunquam in actum traducatur, neque enim plane caremus exemplis exercitii huius iuris. Et si forte non haberemus, melior tamen esset hac parte conditio principum euangelicorum praecatholicis, cum sufficiat, illos, quotiescumque volunt, ius istud suum, hactenus ex erroneis persuasionibus omissum, exercere posse, nec in tali re merae facultatis timere debere præscriptionem aut omissionem per non usum: cum contra principes catholici, ut dictum, salua religione sua, etiamsi velint, id exercere nequeant.

§. XI.

(6) Sermonem esse de homicidio doloso citra respectum ad paenitentiam delinquentis.

Denique cum de iure aggratiandi in homicidio sermo est, necesse est, ut potissimum solliciti simus de homicidio *doloso*, quod verum crimen est, & vbi homicida ex proposito egit. (b) Nam in culpo solo ordinaria locum non habet ex legibus iustitiae, causale ex iisdem legibus haud dubie ab omni poena est exemptum. Porro agimus de homicidio doloso in genere sine respectu, an paenitentiam agat homicida nec

(b) Magnif. Dr. Rechenberg, in diff. de hac questione §. 4.

nec ne. Quamuis enim non desint, qui in priore ca-
su fraudeant ius aggratiandi, aut ad illum saltē casum
restringant, (i) nos tamen eam sententiam non faci-
mus nostrā. Præterquam enīm quod poenitentia vera
cum fide in Christum coniuncta effectum suum exerat
intuitu debitārum pœnarum futuri seculi; iam ab aliis
recte notatum fuit, de vera pœnitentia vix esse, homi-
nibus ut constet, & adeo quenquam impune laturum
esse sua malefacta, si pœnitentiam quouis modo extra-
secus profiteri sufficeret. (k)

§. XII.

Pergimus ad monita de locis argumentorum, vnde quæstio hæc determinanda, & probatio affirmativa est desumenda. Vbi constat, quia de principe, i. e. eo, qui summam potestatem habet, sermo est, & vero prin-
ceps solutus est legibus omnibus positius, quod ex so-
la naturæ lege licentia iuris huius sit demonstranda.
Vnde non mirabitur quispiam, quod & ipsi abstineam-
us ab allegatione omnis iuris priuati tam Iustinianei,
quam canonici, & non agnoscamus obiectiones villas
ex istis iuribus, præprimis cum ius canonicum fere
vbique repletum sit arcanis papisticis, (quibus originem
debere etiam sententiam negantem monstrabimus pecu-
liari capite tertio,) & ius Iustinianum etiam ab hac
labe non sit plane immunit. Scimus quidem, Ictos,
qui de iure aggratiandi scripserunt, plerumque vii tex-
tibus utriusque illius iuris. Sed hæc fiebant iis tempo-
ribus,

B 2

Probatio
quæstionis
desumenda
ex iure natu-
ræ solo.

(i) D. Hannekenius de iure gratiæ principis christiani in reos noxæ ca-
pitalis. Iustinianus Clemens in scripto §. 9. citato.

(k) Grotius de l. B. C. P. II. 20. II. 2. Dn. Rechenb. d. diff. §. 29.

12 Diff. Inaug. de iure principis euangel. aggrat. homicidas.

ribus, vbi adhuc putabatur, etiam in quæstionibus iuris naturæ & publici probationes desumendas esse ex ipsis iuribus. Postquam vero magnus Conringius iurisprudentiam ab hoc næuo purgauit, non opus est, ut ea de re plura verba faciamus.

§. XIII.

Etiamsi aga-
tur de prin-
cipe euange-
lico.

Extendimus assertionem nostram, ut valeat, etiamsi agamus de principe euangelico. Etsi enim sint, qui putent, in euangelio nouam legem perfectiorem a Christo esse publicatam, quam sententiam etiam passim sequitur Grotius, tamen, quemadmodum Grotius propterea communiter a commentatoribus vapulat, ita recte aduersus eos, qui in probanda nostra sententia ea hypothesi videntur, a dissentientibus vrgeri solet, euangelium non abolere politias. Igitur non ægre ferent iidem dissentientes, si nos retorqueamus eandem sententiam aduersus ipsos, dum textus euangelii non commoda interpretatione conantur in suam tradere sententiam.

§. XIV.

{Quæstio hæc
iuridica est,
non theologi-
ca.)

Scilicet tota hæc quæstio politica est non theologicæ, voce politicæ late supposita quatenus ius naturæ sub se comprehendit. Quodsi vero terminus politicæ quæstionis hic displiceat, ob dicta superius, (1) clarius forte erit, si dicamus, quæstionem hanc esse iuridicam, non theologicam. Non enim agitur hic de eo, quid iustum sit & iniustum intuitu salutis æternæ, sed de pœnâ ciuili in hac vita. At de iustitia pœnarum ciuilium agere primario ad ICoros pertinet.

§. XV.

(1) supra §. 9.

§. XV.

Quamvis etiam sub nomine principis euangelici hic respiciamus potissimum ad status imperii, (m) tamen & hi in quæstionibus iuris publici sunt supra omne ius positivum, tam Iustinianum quam canonicum. Et quamvis teneantur recessibus imperii per modum patitorum; cum tamen in recessibus imperii nihil sit dispositum de hac quæstione, aut statibus imperii ius dispensandi circa pœnam homicidii non sit per recessus ademtum, neque etiam a dissentientibus recessus allegari soleant, non est, ut de his simus solliciti. Eadem est ratio constitutionis Carolinæ. Pœnæ ibi constitutæ non adimunt statibus imperii ius circa pœnas delictorum pro libitu disponendi in suo territorio. Adde, quod & intuitu recessuum imperii status in suis territoriis possint leges condere recessibus contradicentes, ut alibi latius demonstrauit Dn. Præses, (n)

§. XVI.

Postemus iam ad rem ipsam accedere, nisi monerent dissentientes, ubique sententiæ nostræ opposentes dicta scripturæ, patrum, responsa academica & autoritates Theologorum & ICTORUM infinitorum, etiam de his quædam monita præmittenda esse. Et quidem, cum facile sentiant, rationibus ex iure naturæ solo defumitis parum se posse proficere, doceri solet, iuri aggratiandi in præsenti casu aduersari ius morale diuinum ex reuelatione petendum, adeoque eius explicationem primario petendam esse a patribus eccl-

Etiam si sermo sit de statibus imperii.

Annonex iure
re diuino mo-
rali & scri-
ptura sacra?

(m) per dicta §. 7.

(n) pecul. disserr. de stat. imp. potest. legisl. contra ius commun.

siæ, tum a Theologis euangelicis, &c., qui hos securi sunt, piis ICTis.

*Ius diuinum
morale &
ius naturale
non differre.*

§. XVII.

Hic monemus initio, ius diuinum morale & ius naturale parum conuenienter sibi opponi, dum vide licet absque sufficiente ratione supponitur, quasi in divisione consueta legis diuinæ in moralem, ceremonialem & forensem, vel ad moralem pertineant leges quædam, quas ratio sibi relicta ignorat, sed quæ peti debeant ex sola reuelatione legis Mosaicæ; vel, dum ab aliis ius naturale & morale habentur pro synonymis, quasi dicta scripturæ de lege morali loquuntur, cum tamen ratio sibi relicta earum prohibitionem assequi nequeat, sed debeat ea ex sola scriptura peti. Etenim Theologos etiam nostrates in expositione legis moralis ita in duas classes secedere, & quosdam præter legem naturalem ad ius diuinum morale referre legem positivam vniuerso humano generi datam, iam alibi notauit Dn. Præses. (o) Priorem hypothesin quidem ipse Dn. Præses non solum ante securus est, sed & primus tentauit ostendere differentiam perspicuam inter legem moralem, naturalem & positivam. (p) Sed ipse tamen postea meliora edocitus eandem iterum primus destruxit. (q) In posteriore vero negamus, ius naturale non omne posse ex ratione sibi relicta deduci, negamus, scripturam in præceptis vniuersalibus ad usum praesentis vitæ pertinentibus rationi sibi relictae vñquam contradicere.

(o) *Dissert. Lipsiensi de crim. Bigamie, §. 16.*

(p) *Vide dissert. proœm. ad insti. iur. diu. §. 20. & 43. & in ipsis insti. l. 1. c. 2. §. 119. seq. & c. 4. §. 79. seq.*

(q) *Tom. IV. Observ. sel. 27.*

tradicere, & ideo firmiter asserimus contradictionem, si quæ subesse appareat, esse saltem apparentem, atque adeo semper præferendam esse interpretationem, quæ cùm principiis rationalibus iuris naturæ ex certitudine morali & toto humano generi communis haustris conueniat, alteram vero indubie esse falsam, & verosimiliter ex arcans papatus, etiam si quandoque non statim in currentibus in oculos, haustram.

§. XIIIX.

Atque ut nostra hæc assertio eo palpabilius ab omnibus ratione sua videntibus comprehendendi possit, ac omnis cauillandi occasio dissentientibus præscindatur, pauca ista monita, ut fere indubia, & a dissentientibus etiam facile admittenda adiicimus. Duo homini ad salutem & veritatem salutarem consequendam a Deo optimo maximo lumina data sunt, lumen rationis & lumen reuelationis seu scripturæ sacræ. Vtraque sunt dona Dei singularia ab homine ita traetanda, ut neutrum eorum abiiciat, aut unum cum altero confundat. Ut vero hæc confusio eo melius evitetur, notandum est, lumen naturæ hominemducere ad veritates salutares in vsu huius vitæ, lumen reuelationis ad veritates salutares futuræ vitæ. Cum vero contradictoriæ veritates non dentur, necesse est, nec rectam rationem vñquam contradicere scripturæ, nec scripturam rectæ rationi. Quin potius in rebus ad salutem huius vitæ pertinentibus semper lumen scripturæ illustrabit & confirmabit doctrina rectæ rationis, & in doctrinis ad salutem æternam pertinentibus recta ratio doctrinas reuelatas etsi probare non possit, pro defendenda tamen earum veritate (& potissimum

Monita de
oppositioni-
bus apparen-
tibus rationis
& scripturae
circa hanc
questionem.

simum vbi de possibilitate quæstio est) aduersus aduersarios non pauca suppeditabit argumenta illustrantia. Vnde iam sequitur sua sponte conclusio, quod in quæstionibus ad salutem huius vitæ pertinentibus, quales sunt quæstiones iuris naturæ, fundamentorum seu argumentorum probantium loco ponenda sint dictamina rectæ rationis, scriptura vero hic suppeditare possit argumenta illustrantia, ut in materiis ad salutem æternam pertinentibus fundamenta probantia suppeditat.

§. XIX.

*Non atten-
denda hinc es-
se dicta pa-
trum mora-
listarum, re-
spensa colle-
giorum aca-
demicorum.*

Quodsi vero loca scripturæ in hac quæstione ex iure naturali sunt explicanda, multo magis id obseruandum erit in dictis patrum. Et cum scriptura, per dicta, rationi repugnare non possit, autoritates humanae vero saepius rectæ rationi repugnant, non admittendæ erunt illæ in hac quæstione, si rationi contradicant, siue sint dicta patrum ecclesiæ, siue loca moralistarum pontificiorum, siue responsa academica facultatum theologicarum & iuridicarum etiam apud protestantes. Accedit, quod ex variis argumentis constet, patres ecclesiæ ignorasse ius naturæ vitio magis temporis, quo vixerunt, quam suo, moralistas vero pontificiorum ex dictis scripturæ contorte expositi ius naturæ effabricasse ambitioni suæ & avaritiæ respondens; arcana porro illa politica cleri pontificii, in academiis protestantibus ante tempora Grotii a reformatoribus & professoribus academicis, ob neglegitum studii iuris naturalis, non fuisse obseruata, post tempora Grotii vero, item Pufendorffii, præiudicia illa errorum antiquorum usque ad tempora nostra, ex amore

amore veterum magistrorum, & imbecillitate humanae naturæ difficulter fuisse deposita. (r)

§. XX.

Iam autem facile diiudicari poterit, quid dicendum sit intuitu oppositarum interpretationum locorum scripturæ, quæ a parte dissentientium a nobis adversus affirmatiuam sententiam nostram opponi solent. Observauimus enim, quod a dissentientibus non semel urgeatur, non satis probasse eos, qui a nostris sunt partibus, interpretationem textuum oppositorum talem esse, qualem ipsi asserunt. Contra etiam affirmantes idem urgunt contra negantes, textuum illorum interpretationem non esse talem, qualem negantes supponunt, neque eos sufficienter eam, quam tradunt interpretationem, probasse. Etenim in dubiæ interpretationis locis scripturæ ea, quæ pro nostra sententia facit, non solum ideo est præferenda, quia, ut diximus, interpretatione quæ conuenit cum iure naturæ in præsenti quæstione est præferenda ei, quæ dictamin rationis rectæ repugnat; sed &c, quia nos ex dictis causis pro probatione sententia nostræ non utemur dictis scripturæ, ut argumentis probantibus, sed solum eius veritatem ex iure naturæ deducemus. Dissidentes vero primario utuntur textibus scripturæ tanquam probantibus assertionem suam, vel etiam nobis eosdem textus opponunt. Quocunque modo eos consideres, non nobis sed ipsis incumbet probatio, loca scripturæ non aliam admittere interpretationem, quam istam suam. Priori modo, quia alias ipsis inculcari potest, nullam esse probationem per

In dictis scri-
pturæ dubiæ
interpretatio-
nis, probati-
onem istæ
interpretati-
onis non nobis
incumbere,
sed dissentientibus.

C

æque

(r) Vide Dn. Præfd. præfat ad vers. Germ. Grotii de I. B. & p.

æque dubiam; posteriori modo, quia secundum regulas bonæ interpretationis non respondentि incumbit probatio responsonis, sed opponentи obiectionis, & sufficere, si respondens ostendat aliam esse posse interpretationem loci oppositi.

§. XXI.

*Non esse et-
iam hic im-
miscenda ar-
gumenta
theologica.*

Denique cum hoc argumentum ostenderimus esse morale & iuridicum, non theologicum, & id sua sponte exinde sequetur, quod hic non debeant immisceri argumenta theologica, ut quandoque a non nullis fieri solet. Ita recte notatum fuit, quod is, qui dispensationem principis in causa poenæ homicidii asseuerat, inter alia adduxerat, principem posse poenam sumere de vade ob crimen capitale ab altero admissum. Etsi in foro diuino Deus pater a Christo tanquam vade pro genere humano iustissime poenas sumiserit. (s) Alia enim est ratio iustitiae diuinæ in negotio redemtionis, alia iustitia humana in questio nibus iuris naturæ. Ita theologi orthodoxi docent aduersus Socinianos, Deum saluis regulis iustitiae sapienter imputare Christo peccata humana, & meritum Christi peccatoribus fide id arripientibus, et si homo talia faciens violaret regulas iustitiae humanæ, (t) Sic in questione de iure aggratiandi in genere nemo ex theologis, quod sciam, istud principibus negat competere salua iustitia, cum tamen iterum theologi orthodoxi aduersus Socinianos doceant, Deum patrem salua iustitia sua ius aggratiandi erga primos parentes post lapsum exercere non potuisse, & exinde necessitatatem mediatoris Christi adstruunt.

CAP. II.

(s) *Magn. Dn. Rechenb. d. diff. §. 32.*

Iur. N. C. G. cap. praem. §. 29, C. h. 1, c. 7. h. 30 seqq.

(t) *Dn. Praef. de fundam.*

CAPVT II.

Probatio, quod principi competit
ius aggratiandi etiam in causa ho-
micii.

§. I.

Postulant regulæ prudentiæ, ne quis sine causa sufficiente sibi ipsi onus, quod prudenter euitare potest, imponat. In foro reus imprudens fôret, si actore non probante ipse in se vellit suscipere probationem innocentiæ suæ. Sic & in quæstionibus controversis probatio non illi incumbit, qui pro se habet præsumptionem, sed qui præsumptionem illam vult elidere. Nos vero ius licentiæ principi indulgentes, ut etiam homicidis dolosis ex gratia poenam remittere aut mitigare possit, pro nobis habemus duplicem præsumptionem, siue nimirum licentiam in genere respiciamus; siue licentiam iuris aggratiandi in specie.

§. II.

Nam quod licentiam in genere attinet, omnia homini licent, quæ legibus non sunt præcepta vel prohibita. Vnde Grotius recte docuit, permissionem seu licentiam non esse actionem legis, sed actionis negationem. Si ergo omnia licent, & ius aggratiandi homicidarum licebit, nisi dissentientes afferant probationes prohibitionis & quidem ex iure naturali per monita capitis præcedentis. Atqui tales probationes non attulerunt, ergo saluum erit hoc ius aggratiandi principi euangelico.

C. 2

§. III.

*sive licenti-
am iuris ag-
gratiandi in
specie.*

§. III.

Quod vero spectat ad ius aggratiandi in specie sufficit nobis, quod dissentientes concedant, ius aggratiandi pœnas delictorum in genere competere principi, excepta tamen esse quædam delicta, & inter excepta esse homicidium dolosum. In dubio vero semper præsumtio est pro regula, nisi probetur exceptio. Vnde & in foro, si reus simpliciter neget, actori incumbit probatio; si factum non diffiteatur, sed exceptionem tamen adducat, intuitu exceptionis, quoad onus probandi habetur pro actore.

*Evidentiam
tamen causa-
hic facile
suppeditare
probationes
et se suspen-
sus.*

§. IV.

Vti tamen sæpe interest reorum, vbi evidentia iuris prædicti sunt, a probatione eiusdem non abstine-re, ita & nos non fugiemus probationem assertionis nostræ, ne dissentientes id adscribant diffidentiæ cau-sæ, præprimis cum evidentia assertionis nostræ talia non pauca suppeditet, ex doctrina de iure aggratiandi in genere.

*Huc pertinet
principue,
quod pœna
omnium deli-
ctorum ve-
niunt ex iure
posituo
etiam homici-
dii.*

*Ius naturæ
non potest de-
terminare ul-
lam pœnam.*

Aggratiatio est species dispensationis. At qui-cunque legem ferre potest, potest etiam circa eam dispensare. Scio regulam hanc admittere limitatio-nem in lege naturali. Sed sufficit nobis, si valeat in positiuua. Omnes enim pœnae veniunt ex iure positiuo. At vero princeps iure posituo non est ob-strictus.

§. VI.

Sentiunt dissententes, potissimum momentum quæstionis nostræ versari in illa assertione, ergo ope-ra danda est, ut ab ea firmetur perspicue. Dixi, omnes pœnas

pœnas venire ex iure positivo. Etsi enim ius naturæ in genere dicit, puniendos esse delinquentes, tamen non determinat ius naturæ modum pœnæ in nullo delicto, sed determinationem eius relinquit arbitrio & prudentiæ principis. Nec poterit ius naturæ determinare ullam pœnam, quia pœna, si iusta sit, debet proportionem habere cum delicto, delicta vero infinites variant, etiam eiusdem generis. At quæ talia sunt, regulis vniuersalibus, quales sunt dictamina iuris naturæ, includi nequeunt. Sic ius naturæ dictat quidem medico, ægrotantibus succurrentum esse medicamentis aptis. At quænam medicamenta apta sint, frustra quæreret medicus in iure naturæ, cum pertineant ad artem medicam. Sic ius naturæ dictat, neminem in contractibus lædi debere, sed res vendendas iusto pretio. At iustum premium non determinat ius naturæ, sed determinatio eius pertinet ad prudentiam œconomicam. Ita determinatio pœnæ etiam ex prudentiæ politicæ regulis petenda est, non ex iure naturæ.

§. VII.

Quod homicidium in specie attinet, eadem est ratio, quia & homicidia dolosa infinitis circumstantiis variant. Neque ius naturæ indicat, quædam delicta capitaliter esse punienda, quædam pœnis leuioribus. Indicat tamen prudentia politica, non omnia delicta esse punienda æqualiter. Istud enim paradoxon Stoicorum, delicta esse æqualia, in prudentia politica non habet locum. Male audiunt leges Draconis, omnia delicta capite punientis. Nescio, annon in easdem prudentiæ regulas impingant, qui nulla delicta volunt

Nec dictat
pœnam capi-
talem homi-
cidio.

lunt puniri capite. Etsi propterea non æque sint imprudentiae accusandæ leges, quæ delicta apud alios multos populos capitalia minori poena coercent. Exemplar prudentiae legislatoriaæ in republica Mosaica illustrat valde assertionem, quod quædam delicta recte puniantur capitaliter, quædam minori coercitione. Ergo prudenter etiam & recte homicidium poena capitali puniri potest, non tamen semper debet. Poenas enim ex iure talionis præcise sumendas esse, iam refutatum ab aliis. (n) Id saltem dictat ius talionis, non habere eum, qui paria iis, quæ fecit, patitur, causam conquerendi, quod ipsi fiat iniuria; non dictat, eum, qui iniuriam passus est, debere tantum damnum inferre, quantum alter fecit; non dictat, eum, qui ius coercendi habet, aut tantum, aut non maius damnum inferre debere, ut vel ex iure coercionis paterna liquidum est.

§. IIX.

*Ino et si di-
ctaret, non
tolleret ta-
men ius ag-
gratiandi.*

Sed etiam ponamus, ius naturæ determinare pœnam homicidii, vt certum est non determinare, tantum tamen absit, vt inde firmum pro sententia dissidentium possit accedere argumentum, vt potius pro nostra sententia ita liceat argumentari. Præceptum iuris naturæ de puniendis delinquentibus in genere non tollit ius aggratiandi in genere. Ergo præceptum iuris naturæ de puniendo capitaliter homicida, si quod foret, non tolleret ius aggratiandi homicidam in specie. Verum est, non potest dispensare princeps leges naturæ, sed nota etiam est differentia inter præcepta iuris naturæ negatiua & affirmatiua: illa nunquam aliter

(n) Pufendorf. de Iur. Nat. &c Gent. VIII. 3. 27.

aliter se habere possunt; hæc vero varias admittunt limitationes ex variis circumstantiis. Scholastici differentiam ita differre solent. Præcepta negatiua obligare semper & ad semper, affirmatiua semper quidem, sed non ad semper, id est, multas posse rationes esse, quæ suadeant vel iubeant cessationem actionis ad tempus in præcepto affirmatiuo.

§. IX.

Neque enim putandum est, dum de iure aggratiandi homicidam loquimur, nos defendere velle libertatem homicidas quosuis impunes dimittendi, aut etiam suadere principi, ut contra regulas prudentiæ ex virtuoso affectu hic dispensem. Vt in genere ius dispensandi & aggratiandi debent exerceri non tumultuarie, sed ex rationibus & causis prudentibus, non tamen petitis ex fontibus interpretandi legem, (x) ita eadem haud dubie subintelligenda sunt, in assertione de licentia gratiam concedendi homicidæ. Vnde frequentius etiam est in hoc nostro casu ea species aggratiationis, quæ non plane impunem dimittit homicidam dolosum, sed saltem pœnam capitalem mitigat in mitiorem. Nam raro subsunt rationes suadentes omnis pœnæ dimissionem.

§. X.

Et pro hoc gratiæ dispensationis genere militat nouum argumentum. Cur non licitum esset principi remittere pœnam capitæ homicidæ & eum alio modo punire, cum plane mutare possit pœnam homicidii omnis dolosi in pœnam, quæ vitam non admir. Maius autem est, posse posterius facere, quam aggratiare saltem paucos homicidas. Licetam vero esse mutatio-

*Non debet
tamen fieri
aggratiatio
homicidii si
ne causis
prudentibus.*

*Potest prin-
ceps mitiori
pœna homi-
cidam puni-
re, quia pot-
est pœnam
homicidii ca-
pitalem pla-
ne tollere.*

(x) Ziegler, de iur. maiest. l. I. c. 7. §. 2. 3. & c. 8. §. 1. 4. 5.

nem legum in hoc capite fluit ex doctrina præcedente, quia determinatio omnis poenæ relinquenda est prudenti arbitrio principis. Sæpe autem variare potest utilitas reipublicæ, ut quemadmodum crescentibus delictis crescunt poenæ, ita etiam aliis causis emergentibus poenæ decrescant.

CAPVT III.

Origo sententiæ negatiuæ ex
arcans papisticis.

§. I.

In homicidiū ex iure gentium pœnā non capitalibus animalibus animaduersum.

Si ea, quæ a plurimis gentibus visitata sunt, iuris gentium quandam faciunt speciem, poenæ capitales homicidarum nequaquam iuri gentium sunt adscribendæ, sed potius poenæ capitalibus minores. Sane Romani olim, ut nulla delicta morte puniebant, ita diu homicidium etiam poena mitiore coercebant. De populis occidentalibus plerisque constat, eos poenam pecuniariam & satisfactionem propinquorum occisi certo mulctæ genere homicidis etiam dolosis dictasse. Et de Danis, Polonis, Suecis, Frisiis, Holsatis, Saxonibus, Baiuariis, Alemannis, Scottis, &c. id iam probarunt alii. (y) Certum quidem est in lege Mosaica poenam capitalem distari homicidæ, sed multa sunt in lege Mosaica prudentissime statuta, quæ tamen propterea neque ad ius naturæ in vniuersum spectant, neque ius gentium faciunt.

§. II.

(y) Besold. Thes. Pract. voc. Lodten Hals lōsen. Schilt. exerc. ad pand. 49. §. 114. seq.

§. II.

Ex scriptoribus porro græcis vel latinis, qui gentiles fuerunt, nemo vñquam ius aggratiandi in pœna capitali homicidii principi competens vocauit in controuersiam. Imo ne Iudaici quidem Dd. ita legem Mosaicam de puniendo capitaliter homicida exponere sunt ausi, vt vel regi Ebræorum, vel principibus reliquis ius hic dispensandi tollerent, cum partim regi Hebræorum dederint potestatem ex utilitate reipublicæ faciendi contra legem Mosiacam prohibentem, & legem de puniendo capitaliter homicida statuant non pertinere ad totum genus humanum. (z)

Nulli scripto.
res ethnici
nec Iudei in
dubium vo-
carunt ius
aggratiandi
homicidas.

§. III.

Neque tamen sententia communis negans de-
mum post reformationem inter protestantes orta, sed
a doctoribus & moralistis pontificiis accepta & retenta
fuit. Quo seculo eadem sit orta, iam excutere non
vacat, nec otium supereſt. Forte absque magna dif-
ficultate id inquire posset, si quis euolueret & adspiceret
dicta patrum ecclesiae, quæ a theologis nostris ci-
tari solent aduersus Socinianos in quæſtione de licentia
vltimi supplicii. (*) Multa a patribus ecclesiae fuere
bona fide & intentione ob ignorantiam iuris naturæ
secus ac par erat tradita, quæ clerus pontificius vertit
in arcana politica papatus. Hanc vero sententiam eo
pertinere ſufficienter vel ex eo probare licebit, si oſten-
derimus, ſecundum doctrinam cleri ius aggratiandi

origō senten-
tiae negatiuae
debetur clero
pontificio.

D homi-

(z) conf. Schickard. de iure reg. Hebr. theor. l. 4. n. 99. p. m. 251. Sel-
den. de iur. nat. & gent. l. 4. c. 1. p. 481. seq.

(*) Calouii Socinism. proſtag. diſp. 27. p. 988. citat. Magnif. Rechenb.
d. diſert. §. II.

homicidas denegatum principibus laicis, concessum vero clero, item clericos homicidas non esse capite puniendos. Nam si esset lex moralis, i. e. vniuersos homines obligans, neque clero licuisset intercedere pro homicidis ne capitaliter puniantur, neque clericos a poena capitali eximere. Deinde latere hic arcanum papatus etiam exinde constabit, quod hoc pacto clerus pontificius occasionem sumserit vindicandi sibi potestatem legislatoriam, & corrigendi leges populorum mitiorem capitali poenam homicidio dicantium,

§. IV.

*Iam Augu-
stini tempo-
re defensa in-
tercessio cleri
pro homicidis
etiam dolo-
sis.*

Extat in epistolis Augustini epistola Macedonii ad Augustinum, vbi multa eaque grauia dubia modeste mouet contra intercessiones cleri pro delinquentibus, etiam imponentibus. (a) Respondet Augustinus (b) ita, ut prolixè quidem istum morem defendere sustineat, sed non ubique regulis bonae disputationis obseruatis. Dissimulat enim primariam obiectionem de intercessione pro imponentibus, simul vero tacite indicat, iam illo tempore latuisse aliquid arcani politici, cum cleris liberatos ita a poena ciuili, subiiceret tamen poenis ecclesiasticis. Et quamvis ibidem nec a Macedonio, nec a Augustino verbis expressis mention fiat homicidii, tamen intercessionem cleri etiam ad homicidas dolosos pertinuisse ipsum factum Augustini docet, intercedentis (c) pro Donatistis, ne morte puniantur, etiam si de criminibus atrocioribus fuerint confessi, inter quæ etiam homicidium dolosum nomina- tur.

(a) Epist. 53. (b) Epist. 94. (c) Epist. 158, 159, 160.

tur. (d) Iam dudum vero probarunt theologi protestantes, intercessiones illas ex papatu esse. (e)

§. V.

Et iam suo tempore Baldus (f) meminit, com-pete-re cardinalibus priuilegium, vt si obuiam fiant illi, qui ad supplicium ducitur, impositione pilei sui immunem a poena constituta faciant, vnde pro cautela commendatum aduocatis a cautelarum scriptoribus, ut, quando condemnatus ad locum duceretur supplicii, per rei amicos procurarent, vt ductio fieret per loca per quae cardinali alicui esset transeundum. (g) Et ideo tempore, quo curia erat Florentiae, per contrariam cauebant cautelam iudices, ne ducerentur rei per eiusmodi loca, quibus cardinales obuiarent. (h) Sed iam suo tempore irrationalitatem huius moris obseruauit Paulus Castrensis. (i) Forte id priuilegium petitum ex moribus antiquae Romae gentilis, vbi virginibus vestalibus hoc priuilegium datum, vt si forte in aliquem, qui ad capitale supplicium duceretur, incidissent in publicum prodeentes, sottem liberarent, iurelurando praevio, forte fortuna se, non data opera interuenisse. (k)

D 2

§. VI.

(d) d. Epist. 158: ab initio.

(e) Magnif. Dn. Rechenb. d. dissert. §. 21. vbi & Danhauerum & Riseturum citat.

(f) in l. addictos C. de appellat.

(g) Cæpoll. Tract. cautelarum caut. 2. in princ.

(h) Tiraq. de pen. tempor. tom. 7. c. 55. n. 1. in fine.

(i) in l. addictos C. de episc. audient. in fine. Adde Barbosam de praefant. card. n. 9. qn. 1. Corsetum in singul. verb. cardinalis.

(k) Plutarch. in Numa.

Cardinales
ius aggra-
tiandi sibi
vindicant ex
confuetudine
irrationabili.

§. VI.

*Asyla tem-
plorum &
monasterio-
rum, etiam
pro homicidiis
adolosis.*

Pertinet etiam ad arcana papatus, quod a seculi quarti temporibus suasu cleri imperatores romani, aliique reges & principes christiani pro delinquentibus asyla constituerint in templis, quod postea pontifices ad quævis monasteria & loca confinia extenderunt. Et quamuis prætextus fuerit, id fieri in singularem Dei honorem & cultum, iam satistamen a theologis nostratibus obseruatum est, eius moris originem irrationabilem esse & ex ethnicismo petitum. Optandum foret, patres de ecclesia alias optime meritos & hic non aliquid humani passos esse. Iam vero ex annalibus ecclesiasticis constat, quod iam Chrysostomi tempore grauiter valde tulerint episcopi christiani, quod Eutropius hunc morem nulla sana ratione munatum abrogare intenderit, & quod etiam ipse Chrysostomus hæc asylorum iura defendere allaborauerit. (l) Huc pertinet etiam, quod magnum illud ecclesia lucem Augustinus Bonifacio cuidam excommunicacionem minet, quod quendam ex ipsius ecclesia astraxisset, quasi DEV' scilicet, ita grauiter offendisset. (m) Sed ad talia respondere solent nostri theologi, patres in plurimis aberrauisse. (n) Et sane res palpabilis est, intentionem papatus fuisse, sub prætextu cultus diuini, iura cleri extollere super iura maiestatica principum. Dum enim principibus interdicere-

(l) *Chrysostom. Tom. II. Homil. 19.*(m) *Augustin. Epist. 187.*(n) *Vid. quoad tot. hunc. § D. Georg. Mæb. de asylis c. 6. §. 8. 26. &**§. 7. integro, qui de errorib. patrum luculenter egisse ait Gerhardum T. I. Confess. cathedr. p. 492. seq.*

diceretur tanquam impium & iuri diuino repugnans, homicidis indulgere veniam poenam, etiam ex causa rationabili, contra rationem iisdem persuasum fuit, ac si rem Deo placentem & bonum opus sint acturi, si templis & monasteriis darent priuilegium, ut impunes essent homicidæ quiuis ad ea loca confugientes. Res plana est & pluribus verbis non habet opus.

§. VII.

Porro & ex eo apparet, in persuasione, quod principi non liceat indulgere veniam homicidii ob legem vniuersalem diuinam, latere arcanum politicum cleri papalis, quod etsi decretalibus epistolis inferuerint legem Mosaicam de homicida morte puniendo: (o) exemptus tamen fuerit clerus ab omni poena magistratus politici, & praxis ecclesiæ romanæ ostendat nec homicidam clericum posse a magistratu politico capitaliter puniri. Imo priuilegium clericale eo fuit extensum, ut quoad poenas ecclesiasticas homicida laicus excommunicetur, clericus vero saltem deponatur, (p) item ut clerici, etiamsi coram iudice seculari confessi sint & conuicti de criminis, tamen non sint propter hoc a suo episcopo aliquatenus condemnandi; sed post confessionem demum coram episcopo factam aut conuictionem sint deponendi, ita tamen, ut non tradantur indici seculari. (q) Imo episcopus, etiam in causa homicidii, poterit circa clericum ad retinendum beneficium misericorditer dispensare. (r)

D 3

§. IIX.

Clerici homicidæ apoenæ mortis exempti, & portestas dispensandi circa penas delinquentis cleri, etiam in causa homicidii episcopis indulta.

(o) Cap. I. X. de homicidio.

(p) Homob. de bonis de casib. reservatis episc. & præl. l. 2. c. 3. p. 279.

(q) Cap. 4. X. de indicione.

(r) Cap. 2. X. de cleric. pugnant. in duello. Homobonus d. Cap. 3.

§. IIX.

*Priuilegium
academiae Li-
psiensis a papa
datum de non
puniendo ca-
pitaliter ho-
mocida.*

Neque papa contentus fuit, quod principibus ius dispensandi in crimen homicidii ademerit, & in clerum transtulerit, sed & academiis quibusdam, ut Lipsiensi inter priuilegia alia indulxit, vt studiosi ibi degentes, etiam si homicidæ dolosi forent, poena capitali non debeant puniri. Non quidem reperire potui istud priuilegium. Id tamen deprehendi, ab electore Saxoniae & fratribus Serenissimis anno 1658. & 1660. in decreto visitationis id priuilegium tanquam verbo Dei contrarium & quidem, vt dicitur, ad instantiam statuum prouincialium, fuisse abrogatum. (s) Refero etiam huc, quod Schneiderus in Chronico Lipsiensi (t) refert, quod vniuersitas Lipsiensis vi fundationis etiam illo gaudeat priuilegio, quod ciues academici coram nullo magistratu civili conueniri possint aut puniri. Cum tamen hoc priuilegio multi abusi atque furta & homicidia patrata fuerint, anno 1466. legem fuisse publicatam, dolosos homicidas imposterum ad episcopum Martisburgensem esse mittendos, & ab eo perpetuo carceri includendos. (u)

§. IX.

*Lex Polono-
rum de pena
non capitali
homicida-
rum cleroro-
mano invisa.*

Et tamen clerus pontificius nunquam potuit in legibus politicis ferre, ut homicidium non puniretur capitaliter, aut principibus, ut dispensarent circa poenam capitalem homicidii. Iam supra (v) ostendimus, apud populos occidentales plerosque homicidii poenam non

(s) Dn. Praeses Tom. III. Histor. der Weisheit p. 64.

(t) l. 6. p. 309.

(u) Confer. compactata vniuersitatis & senatus relata a Dn. Praeside d. tr. T. II. p. 84. seq. Adde ibid. p. 111. n. 18. & p. 115. n. 25.

(v) Supra c. hoc §. I.

non fuisse capitalem. Quod vero postea hi mores mutati fuerint in pœnas capitales, haud dubie suauis cleri factum est, ius diuinum prætendentium. Item & in republica Polonica videtur contigisse usque ad tempora Casimiri Magni, qui anno 1368. antiquam pœnam mulcta pecuniariæ iterum introduxit, inter alia istis verbis utens: *quamvis occidens hominem secundum Dei legum sanctiones, esset capitali pœna plectendus: nos tamen rigorem illum temperantes statuimus &c.* Apud successores etiam, addita quidem pœna incarcerationis, & mulcta pecuniaria aucta fuit, sed nunquam pœna capitalis iterum introducta, (x) & valde verosimile est, Casimirum per *Dei legum sanctiones* in istis verbis intellexisse tradita cleri, leges Dei (vniuersales) hic perpetuo in ore, quamvis falso ferentes, vel etiam legem Dei Mosaicam, cuius rigorem videlicet non videbatur ferre status reipublicæ Polonicae. Et poterat hoc sensu absque nota impietatis voce *rigore* (ut pote termini indifferentis & sua significacione nativa non connotantis aliquid vitiosi) vt Casimirus, uti voce priori opposita *laxitatis* quis uteretur, si quis legislator christianus diceret, quod *laxitatem sanctionum diuinorum* in permittenda polygamia, & in pœna dupli inciuitu furti, in sua rep. velit restringere. Sed facile quis sibi imaginari potest, quantis calumniis ista verba dederint occasionem apud clerum pontificium & eius clientes, in ista papatus crassitie, si quis perpendat, quam peruerse adhuc in ipsa luce euangelii ea interpretatus sit Arnulfus. (y) *Hoc scilicet, inquit, erat regis huma-*

(x) *Vide statuta regni Poloniae in ordinem alphabeti digesta, voce homicidium.*

(y) *De iurib. maiest. l. 2. t. 3. p. 204.*

humani, accusare iniquitatis leges diuinias, easque idcirco abrogare, quasi ipse sapientior esset ipsa sapientia, & quod hæc iustum esse iubet, ille nimii rigoris accusatum damnare deberet. Vnde non mirandum, quod tandem sub rege Poloniarum, Stephano, alias valde obnoxio ordinis clericali, persuasionibus suis falsæ pietatis obtinuerint, vt rigorem pœnæ capitalis iterum introduixerit, addita ratione, quod lex diuina de puniendo capitaliter homicida antiquior sit illa, quam Poloni allegabant, consuetudine, (z) haud dubie alludens ad verba statuti Casimiriani modo excepta.

§. X.

*Clerus per
istam hypo-
thesin ex-
clusit a con-
silio in hac
quaestione.*

Id etiam obtinuit clerus pontificius per arcam istud politicum, vt in quaestionebus circa ius aggratiandi in homicidio, vt in omnibus aliis rebus, ad forum conscientiae pertinentibus, a consiliis excluderentur politici & Icti, & solus ibi regnaret clerus. Connexione palpabilis est. Dicebant, principibus christianis interdictum esse ius aggratiandi homicidas per legem diuinam in scriptura sacra contentam. At interpretationem scripturarum sacrarum pertinere ad solos theologos. Adde, quod ante reformationem clerus pontificius ad facultatem theologicam traxerit doctrinam iuris naturarum, sub variis titulis, & inter alios etiam sub titulis casuum conscientiae, atque sic a quaestionebus conscientiae excluderent professores philosophiarum & iuris, cum tamen æque ad professores philosophiarum moralis atque ad Ictos pertineat informatio conscientiae, & responsio de casibus conscientiae, i.e. de eo, quod iustum est,

& in-

(z) *Petr. Theodor. coll. crim. d. 10. apb. 7. lit. b. n. 24.*

& iniustum. Debebant equidem post reformationem ICti & philosophi euangelici se in integrum restituere & doctrinas sibi competentes, ut iuris diuini vniuersalis, seu naturæ vindicare, easque a fermento arcana- norum clericalium purgare. Sed cur id non sic fa-
tum, alibi docuit Dn. Præses (a). Vnde excusandi quidem ob errorem seculi communem, sed non imi- tandi sunt scabini Lipsienses apud Carpzouium (b) re-
mittentes quæstionem, an Princeps salua conscientia
ius aggratiandi in poena homicidiū exercere possit, ad
Dn. Theologos, tanquam a suo foro alienam; quam-
uis & contextus ostendat, & quæ Carpzouius ipse an-
notauit, id responsum magis fuisse negationem quæ-
stionis, civilitate aliqua occultatam, quam seriam sen-
tentiam scabinorum, repugnantem videlicet respon-
so statim præcedenti. Sed notum tamen est, ciuili-
tatem non omnem vbiique esse suadendam, sed sæpe
etiam nocere.

CAPVT IV.

*Responso ad argumenta præ-
cipua dissentientium.*

§. I.

Non expectabis hic, vt ad singula velimus re-
spondere, quæ dissentientes, arcani illius papi-
stici, siue pontificii siue euangelici, siue astuti, siue bona fide errantes, defensores proferre solent. Hoc enim res immensi laboris foret. Ita modo pro-
*cur hic re-
spondeatur
saltē ad
argumenta
præcipua.*

E

lixix

(a) In præf. ad Grotii version. german.

(b) Prax. Crim. qu. 150.

lifixis autoritatibus patrum ecclesiæ, Theologorum & ICTORUM ex omnibus tribus religionibus, quæ in imperio Romano tolerantur, item iuris vtriusque, tam ciuilis quam canonici; modo corrassione textuum scripturæ sacræ, ad rem plane non pertinentium, sed contortis consequentiis hic applicatorum, vtuntur dissentientes, modo contra anabaptistarum dogma de iustitia poenarum capitalium disputant, modo supponunt, ac si nostra sententia principibus indulgeret licentiam, absqueulla ratione homicidas pestinos & inemendabiles in damnum reipublicæ evidentissimum a poena debita eximendi &c. Sed ne ad ista singula seorsim nobis hic cum tædio, & nostro, & lectoris respondere cogeremur, præmisimus in capite primo curatiorem status controversiæ formationem, & monita circa fontes probationum. Vnde ad omnia illa modo memorata argumentandi genera aduersariorum in genere respondemus, vel quod non feriant thesin, nec nobis contradicant, vel quod autoritates istas non agnoscamus in materia iuris naturæ. Ergo saltem illa argumenta dissentientium considerabimus, quæ directo nostram assertionem oppugnare videntur, partim desumpta ex ratione, partim a dictis scripturæ, quæ videntur continere leges vniuersales.

§. II.

*Responso ad
I. ius naturæ
dictare po-
nam homici-
dis capita-
lem.*

Communiter vrgetur, ius naturæ dictare poenam capitalem homicidis, quia nihil magis naturale sit, quam ut quod quisque damnum alteri intulerit, iure talionis ipse rursus patiatur; in iure naturæ vero non competere Principi potestatem dispensandi. Resp. (1) negando antecedens. (2) Contrarium, & quod ius natu-

naturæ nullam poenam determininet, supra (c) fuit ostensum. (3) Etiam supra (d) notatum, falsam esse hypothesin, quod fundamentum poeniarum iustarum sit defumendum ex iure talionis. (4) Confunditur ius naturale permissuum cum proprie dicto & præceptuo. Naturalis illa ratio de talione saltem probat, licere Principi capitalem poenam dictare homicidis, contra anabaptistas: non probat, principem id semper facere debere. (5) Ad consequens respondebimus statim ad argumentum sequens.

§. III.

Instant porro dissentientes. Etiamsi ius naturæ non dicit poenam capitalem homicidis, tamen id certe dictere, ut pena debeat delinquentibus; adeoque Principem, qui ius suum cuique tribuere debeat, nec hic dispensare posse. Respondeo (1) iterum negando antecedens. (2) Inconuenientem esse locutionem, & poeticam magis quam philosophicam, quod pena debeat delinquentibus, iam alibi ostendit Dn. Praeses (e). (3) Etsi debeat reipublicæ Princeps poenam delinquentium, tamen hæc obligatio eius ita explicanda est, vt non tollat ius aggratiandi, tolleret vero, si nunquam liceret poenam remittere. (4) Ergo argumentum hoc repugnat doctrinæ ipsorum dissentientium, qui non negant ius aggratiandi in genere, sed potius id præsupponunt, cum tamen hoc argumentum, si quid valeret, valeret contra omne ius aggratiandi. (5) Etsi debeat ex virtute iustitiae punire

*Ad II. Ius nat.
turæ dictere
poenam debe-
ri delinquen-
tibus.*

E 2

sontes

(c) *supra* c. 2. §. 6.

(d) c. 2. §. 7.

(e) *Institut. iurisprud. div. lib. 3. c. 7. §. 61. seq.*

sontes Princeps, tamen debet etiam ex virtute clementiæ quandoque remittere aut mitigare poenas. (6) Iam supra (f) notauius, leges iuris naturæ affirmatiuas admittere, ratione infinitarum circumstan-
tiarum, limitationes, ut adeo, si Princeps istas limita-
tiones in actum duceret, propterea tamen non dici
possit dispensare velle circa ius naturæ, sed hoc maneat
indispensabile.

§. IV.

*Ad III. De-
um Gen. IX.
v. 6. tulisse le-
gem vniuer-
salēm de ho-
micio capi-
taliter puni-
endo.*

Iam pergamus ad dicta scripturæ præcipua, ex quibus dissentientes probare volunt, iure diuino vniuersali prohibitam esse indulgentiam veniæ intuitu homicidæ. Vrgent initio dictum Gen. IX. 6. *Quicunque hominis sanguinem fundit, ipsius etiam sanguis fundetur per hominem. Nam Deus hominem condidit ad imaginem suam.* Respondeo (1) in textu ebraico esse futurum, quod etiam intelligi potest de eo, quod iudicio Dei oc-
culto communiter fieri solet, ut homicidæ, etiamsi ef-
fugiant poenas humanas, tamen eorum sanguis funde-
tur iterum ab aliis hominibus. (2) Nec iuuat dissen-
tientes, quod dicant, in plurimis tamen locis futurum
etiam notare id, quod fieri debeat ab hominibus per
modum præcepti. Nam non sufficit, quod ita intelli-
gi possit, sed sufficit nobis, quod etiam prior sensus
locum habere queat. Vbi vero queritur, quis sensus
sit præferendus, non nobis incumbit probatio, sed dis-
sentientibus per monita superius. (g) (3) Pro nostra
explicatione militat regula, de interpretatione præ-
ferenda quæ optime conuenit cum iure naturæ, at
talis est, quæ Principi relinquunt potestatem dispensandi

in

(f) c. 2. §. 8.

(g) Cap. I. §. penult.

in omnibus delictis. (4) Quodsi dixerint dissidentes, rationem tamen subiunctam de imagine Dei esse vniuersalem, respondebitur, aliud esse propositionem vniuersalem, aliud præceptum vniuersale. Manet etiam propositio vniuersalis, si interpretatio nostra habeat locum. (5) Si regerant, non esse vniuersale, quod homicida iudicio Dei occulto per alios homines interficiantur; respondebimus, nec hoc necesse esse, cum etiam in præceptis affirmatiuis, in concursu duorum vel plurium præceptuorum affirmatiuorum, vnum alteri cedat, & ita exceptiones admittat. (6) Si vtterius vrgeant, ita vero nostra interpretatione admissa supponi, quasi Deus velit approbare delicta, cum & ille alter priorem homicidam interficiens nouum delictum committat; at hanc suppositionem esse absurdam, vtpote repugnantem iustitiae & sanctitati diuinæ: Respondebimus, id quidem suppositum ex nostra interpretatione non sequi, cum dictum illud non exponamus, quasi Deus illud alterum homicidium præcipiat, sed saltem permittat. Et non magis istud suppositum in nostra expositione est necessarium, quam in genere in aliis iudiciis Dei occultis, vbi adulteri adulterio, furfurto, periurus perjurio frequentissime puniuntur. (7) Non præscribi in illo dicto legem magistratui politico, etiam exinde verosimile est, quia illo tempore in familia Noachi nondum erat respublica, nulli adeo magistratus erant. (8) Dictum illud non continet nouam legem, sed est saltem appendix legis præcedentis de non comedendo sanguine. (9) At illud præceptum de non comedendo sanguine non est præceptum vniuersale, scilicet

E 3

tale,

(b) per probata c. 2. integro.

tales, quod perperuo obligat, (de quali nobis sermo est,) cum christianos illa lex non obliget. Ergo si maxime etiam ille noster versiculus esset lex vniuersalis, quia data Noacho restauratori generis humani, tamen & ipsa tanquam appendix prioris non foret perpetua. (10) Quamuis esset lex etiam vniuersalis perpetua, tamen foret lex affirmativa, multas limitationes admittens, ut saepius est inculcatum.

*Ad IV. Deum
in lege Mo-
saica praece-
pisse capita-
lem homici-
dii pœnam.*

§. V.

Porro urgunt præceptum Exod. XXI. 12. *Homicidam iterum interficiendum esse.* Respondeamus (1) præceptum hoc, si deriuetur ex dicto illo, præcepti Noachici appendice, de quo modo dictum, repetendas hic esse omnes responsiones in paragrapho præcedente adductas. (2) At vero, si ab eodem separetur, esse legem Israelitico populo a Mose datam, adeoque non magis pro lege diuina vniuersali habendam esse ac illas, quæ mox sequuntur, de interficiendis illis, qui parentes verberauerint, aut iis maledixerint. (3) Præceptum illud Mosiacum loqui quidem de homicidio doloso, sed non omni. Est enim homicidium dolosum seu voluntarium duplex, subitaneum, quod in rixa non vel parum præmeditata contingit, & insidiosum. Legem Mosiacam ad hoc ultimum pertinere perspicue declarant versiculi statim sequentes, (k) & insuper etiam illustratur argumento casus facti a fœmina Thecoensi Dauidi propositi, (l) ubi Dauid secundum, non contra legem Mosiacam vitam condonabat

fra-

(i) *Exod. XXI. 15. & 17.*(k) *Sc. v. 13. & 14. d. cap.*(l) *2. Sam. XIV. v. 5-8.*

fratricidæ, secundum obseruationem nostram. Neque enim magis rem explicant, quam implicant, triplices responsiones Grotii, Vatabli & Caetani ad illum locum. (m) Caetanus vult, legem Mosaicam capitalem poenam dictare homicidio voluntario, non repentino & casuali. Sed hic inconuenienter opponit repentinum voluntario, cum potius repentinum sit species voluntarii, & illi opponatur deliberatum seu insidiosum altera voluntarii homicidii species. Ergo & eadem inconuenientia palpabilis subest, dum repentinum homicidium & casuale habet pro synonymis. Frigidior est responsio Vatabli, excusantis Dauidem, quia lex iubeat, (n) ne quis occidatur, nisi duabus testibus conuictus, in illo vero casu fuisse fratricidium secretum. Quis enim hanc circumstantiam Vatablo reuelauit, decepto haud dubie, quod ibi narretur homicidium in campo factum esse, nemine præsente, qui istud impedire potuerit. At debuisset cogitare Vatablus, quod testes duo adesse potuerint, homicidium videntes, et si non fuerint ira propinquii, ut impedire id potuerint. Deinde præceptum de duabus testibus non excludit alia probationis media per confessionem rei, aut alia, quæ artificialia vocant Icti. (o) Etsi fuisse secretum fratricidium, foemina Thekoëna eo casu non fuisse vsa, tanquam parum pertinente ad scopum eius, cum Absalonis factum haberet multos testes. Denique si Grotii ea est sententia, quasi Dauid hic præcipitanter responderit foeminæ, non

(m) Recensitæ a Magnif. Dn. Rechenberg. differt, sepius citata] §. 2 §.

(n) Deuteronom. XVII. 6.

(o) Argum. Ios. VII. v. 20.

non sumto spatio ad legem recogitandam, atque fœminæ id promisisset, quod in ipsius arbitrio non erat, sed pertineret ad potestatem senatus vel synedrii: valde quid humani hic passus est vir alias summus. Istud enim assertum de præcipitata responsione regis repugnat circumstantiis historicis, (p) nec præsumendum est, regem tam sapientem aliquid promisisse, quod non esset in sua potestate, præprimis cum iterum in contrarium ducant ipsius facti circumstantiæ. (q) Et falsum esse, quod sub regibus Iudaicis synedrium habuerit potestatem inuito rege condemnandi vel absoluendi, sed tum apud regem fuisse ius vitæ & necis, satis docuit doctissimus Seldenus. (r) (4) Etsi & hæc lex foret vniuersalis, tamen ut omnes affirmatiæ admitteret exceptiones, ne repugnaret iuri aggratiandi, quod etiam in ipsa republica Iudaica contra indubium sensum legis huius fuisse a regibus exercitum, docebunt dicenda inferius.

§. VI.

Solent etiam adducere dissentientes dictum Iohannis in Apocalypsi in eo videlicet gloriantes, quod ibi claris verbis eius, quod fieri debeat, non, quod solum futurum sit, mentio fiat. Diserte enim dicitur: *Qui gladio occidet, cum oportet gladio interfici.* Sed respondemus: (1) Istud oportet necessitatem quidem denotat, at non ubique necessitatem moralem, sed saepius etiam physicam, ut adeo quoad explicationem parum differat a significatione eius, quod certo futurum est sine respectu ad debitum & indebitum. (2) Istum sen-

(p) d. 2. Sam, XIV. v. 8. 10. 11.

(q) præprimis v. 11. ibid.

(r) L. 2. c. 14. p. 922. 924.

sensus etiam suader contextus, cum ibi plane non agatur de officio imperantium, sed de prædictione malorum futurorum. (3) Vt totum negotium propheticum est donum Dei, supra omnem rationem possum & plane extraordinarium, ita ex factis prophetarum non poteris regulas morales de bono & malo facere. Multo minus in doctrina veritatis assertiones dogmaticæ probabuntur aut improbabuntur conuenienter ex verbis prophetarum.

CAPVT V.

Exempla & autoritates virorum
doctorum pro nostra sententia.

§. I.

Poteramus equidem supersedere hoc capite, si lectores essent assueti veritatem examinare ad regulas sensus communis & principiorum genuinorum. Nunc cum fere deunx eruditorum immersus sit adhuc in præjudicio autoritatis, ostendemus, nec nobis deesse exempla Principum, non quorumuis, sed piorum, & consiliis sapientibus vtentium, qui ius aggratiandi exercuerunt etiam in causis homicidii dolosi; nec deesse vltterius consensum eruditorum etiam nostræ, i. e. orthodoxæ, religionis, tam Theologorum quam ICtorum, vt nimirum, si rationes nostræ non queant præjudicium autoritatis, quod in talibus lectoribus est, loco mouere, saltem haec exempla & autoritates id operentur, vt minimum incipiatur vacillare.

¶

§. II. In

§. II.

Qualia exempla hic sunt expetanda.

In exemplis non solliciti erimus de remissione pœnæ homicidi ex causa iustifica, ex regulis iustitiae dictitante pœnæ remissionem aut mitigationem, quia iam cap. i. docuimus, ista exempla non pertinere ad quæstionem præsentem, sed afferemus exempla de remissionibus gratiæ ex causa quidem rationabili, sed tali tamen, quæ alias non solent admittere dissentientes. Tales vero sunt, remittere aut mutare pœnam ob spem emendationis, ob studium conseruandi saltem vnum ex duobus ciuibus, aut membris reipublicæ, ob merita præcedentia, ob sustentationem familiae delinquentis, alias cum fame & paupertate luctaturæ, ob intercessionem amicorum vel delinquentis, vel principis aggratiantis &c. Nam in his & similibus causis, ob autoritatem sententiæ dissentientis, non audent ICI fere quicquam definire, quod illi displicere possit. (s)

§. III.

Exemplum Davidis, viri secundum cor Dei aggratiantis fratricidam Absalonem.

Atque hic occurrit præ cæteris exemplum duplex regis Davidis, non solum ius aggratiandi serio exercere volentis in casu a fœmina Theocensi facto, sed & statim in casu vero, ad persuasionem eius intuitu fratricidii, quod Absalon exercuerat aduersus fratrem Ammonem. (t) De priore iam egimus capite præcedente. Posterius quod attinet, id maxime pertinet ad caput præsens. Etsi enim quoad prius exemplum quidam ex dissentientibus putent id pertinere ad legem Mosaicam, adeoque Davidem præcipitanter fecisse;

(s) Carpzon. Pr. crim. qu. 150. n. 43.

(t) 2. Sam. XIV. 21. seq.

fecisse; tamen & ex mente dissentientium aliorum, & ex mente nostra ostendimus ibi, casum illum proprie non pertinuisse ad legem Mosaicam. At quod fratricidium Absalonis attinet, & secundum expositionem dissentientium, & secundum nostram id haud dubie ad casus pertinet sub lege comprehensos. Erat enim homicidium deliberatum & insidiosum, quam maxime ullum aliud. Et tamen Dauid, vir secundum cor Dei non habebat, ad intercessionem fœminæ illius & Ioabi eius poenam condonare filio. Et quamvis alias Dauid, si contra mandatum diuinum quid turpiter fecisset, correptus fuerit a prophetis & etiam punitus a Deo, tamen ob hoc factum ne quidem illa admonitio ipsis a prophetis facta est. Quod argumentum valde auget verosimilitudinem responcionum nostrarum, quod leges affirmatiæ, etiam diuinæ, non tollant ius aggratiandi.

§. IV.

Augustus gloriosissimæ memoriæ elector Saxonæ, de ecclesiæ Lutherana maxime meritus, & nihil facile sine consilio ministrorum suorum, etiam ecclæsticorum suscipiens, ad intercessionem tamen electoris Brandenburgici, homicidæ, qui quidem more consueto propositum fateri nolebat, sed communi subterfugio vtebatur, interfectum in gladium proprio corporis motu incurrisse, vitam donauit, & omnem poenam remisit. (u) Et notabile est, quod, cum censor narrationem huius facti expungere vellet, (haud dubie

Alind exemplum Augusti electoris Saxonie.

F 2

(u) Dn. Pres. in der Historie der Weisheit T. II. p. 68. ex annali bus Schneideri.

dubie ex communi opinione, contra quam disputamus, seductus) quasi hæc narratio laderet famam electoris, historicus non sine ratione contra istam censuram sit protestatus, breuiter, sed acute adducens, non posse factum hoc famæ electoris præiudicium creare, sed potius exinde tanquam exemplo probari, quod electori regale competit, etiam homicidas aggravandi. (v)

§. V.

*Autoritates
pro nostra
sententia esse
duorum ge-
nerum.*

Quod autoritates attinet, eæ quidem duorum sunt generum. Alii doctores circa assertionem ipsam, quam defendimus, vel hæsitant, vel etiam nobiscum non consentiunt, sed magis inclinant ad partes dissentientium, vel etiam abstinenter plane a tractatione huius quæstionis, partim timentes potentiam & autoritatem dissentientium, partim etiam, quia hæc tractatio erat aliena ab eorum scopo; interim tamen principia, unde assertio nostra deducta est superius, eadem agnoscunt nobiscum, scilicet, quod ius naturæ nullam pœnam determinet, aut quod in historia Mosaica nullum contineatur præceptum vniuersale de puniendo capitaliter homicida, sed quod præceptum istud Mosaicum pertineat ad leges forenses Iudæorum: alii vero, diserte eam, quam hactenus defendimus sententiam, asserunt, et si ex illis nonnulli vel eandem restringant ad pœnitentes homicidas, aut certe præprimis erga illos ius aggravandi locum habere velint.

§. VI.

*Nomina con-
sentientium.*

Ad primam classem pertinent ex theologis Marti-

(v) *Ibid.* p. 49. n. 13. & p. 140. n. 1.

Martinus Chemnitius (x) & Iohannes Gerhardus, (y)
ex politicis ac iureconsultis Hugo Grotius, (z) Iohan-
nes Seldenus, (a) Caspar Zieglerus, (b) Samuel Pu-
fendorffius. (c) Ad posteriorem Iohannes Henichius,
(d) & D. Philippus Ludovicus Hannekenius. (e) Theo-
logi Lutherani & Professores, ille Rintelensis, hic
Wittebergensis, vt & illustris ICtorum ordo in hac
academia regia. (f) Ac reliquorum quidem loca vi-
deri possunt in libris eorum hinc inde citatis: He-
nichii vero & facultatis iuridicæ Hallensis responsa
cum typis impressâ non extant, non iniucundum fo-
re putamus lectori veritatis studio, si ea dissertatio-
ni huic nostræ subiuncta legere possit. Ut adeo ni-
hil restet, quam vt post gratias diuino Numini reue-
renter actas pro concessis viribus, colophonem di-
scursui nostro imponamus.

(x) Loc. theol. loco de lege Dei cap. 4.

(y) Loco de LL. cerem. & forens. n. 40.

(z) de I. B. & P. I. 2. 5. & II. 8. 20.

(a) de I. N. & G. sec. disc. Hebr. l. 4. cap. 1. p. 482.

(b) de Iurib. maiest. l. 1. c. 5. §. 54. 55. 56.

(c) de Iur. Natur. & Gent. VIII. 3. 26.

(d) in Consilio statim subiungendo.

(e) De iure gratiae principis christiani in reos noxa capitalia.

(f) In responsô hic annexo.

F I N I S.

D. IOHANNIS HENICHI
CONSILIVM THEOLOGICVM
HOMICIDAE DATVM.

*Homicidii
enormitas.*

Nullum dubium est, quin enorme prorsus sit delictum, quod perpetrat homicida. Primo enim is violat Dei imaginem ac proinde non immerito a Philone sacrilegus vocatur. Deinde atrocissime idem peccat in societatem, ad quam geniti sunt homines, quæ consistere neutiquam potest, nisi innocentium vita sit in tuto. Optime Florentinus in L. 3. ff. de I. & I. cum cognationem quan-
dam natura inter homines instituerit, consequens est, ho-
minem homini insidiari nefas esse. Hinc homicida vo-
luntarius in vet. Test. obnoxius erat poenæ capitali,
adeo, ut ab ipso Domini altari ad supplicium rapi iu-
beretur. *Exod. XXI. v. 12. 14. & Leuit. XXX. v. 17. 21.* ne-
que vlo pretio redimi posset. Terra enim per effu-
sum sanguinem contaminata expiari non poterat, ni-
si sanguine eius, qui effuderat illum, ut datur intelli-
gi ex *Num. XXXV. v. 33.* & priisci Christiani, ut ostend-
erent, quantopere homicidia detestarentur, diu ob-
seruarunt illam legem, quæ iubet abstinere a suffoca-
to & sanguine. Hinc Octavius apud Minutium Felicem:
*Tantum ab humano sanguine cauemus, ut nec edulium peco-
rum in cibis sanguinem nouerimus.* Et Tertullianus Apo-
log. *Quale est, ut quos sanguinem pecoris horrere confidi-*
Quatuor foras, humano inhibare credatis. Sortitur autem homicida
Quatuor foras, quibus satisfacere tenetur, diuinum,
ecclesiasticum, ciuile & priuatum, nec satisfactione vni
præstica

præstita præjudicat aliis, quin ipsa quoque iure pœnam sibi debitam exigant. Reipublicæ, ut satisfaciatur i. Forum rei homicida, sufficit, si pœnae sibi dictatæ se prompte publicè subiiciat, nec opus est, si magistratus indicet pœnam, ut reus stricto iure secum agi postulet. Disputari autem solet, utrum magistratus, qui ius mitigandi pœnam habet, homicidam voluntarium teneatur poena capitinis afficere, nec ne? Ego negantem sententiam amplerior, eamque sic probo: Si magistratus tenetur homicidam voluntarium capitinis pœna afficere, vel tenetur id facere iure diuino naturali, vel positivo. Non tenetur id facere iure diuino naturali, nam, quod quidam ex silentio, verba sunt Hugonis Grotii ad Cap. V. Matthæi, homicidio naturaliter respondere capitinis pœnam, in eo falluntur, pœna enim delictorum non sunt ipso iure naturæ, aut villa Dei perpetua lege constituta, sed pro modo inde imminentis periculi intendi ac remitti solent. Re-

An princeps possit remittere pœnam capitalem homicidæ.

Cte etiam idem autor censet, in homicidiis non tam factum nudum spectandum esse, quam quæ ante acta fuerit occisoris vita, veneritne ad hoc facinus impietu, (ita autem nostrum in cædem prolapsum esse neutriquam dubito) an deliberatione. Et certe ius naturalæ optime intellexerit Séneca, vir in moralibus apprime exercitatus. Is autem diserte præcipit, ne quis perire, nisi quem perire etiam pereuntis intersit. Idem alibi sic loquitur: Pœnam si tuto poterit, donet princeps, si minus, temperet. Idem alibi: Sapiens multa remittet, multos parum sani, sed sanabilis ingenii seruabit. Neque dubium est, quin in promptu sint aliae pœnae, quibus homicidia coerceri queant, & tranquillitas reipublicæ conseruari possit. Sed nec iure diuino voluntario est præceptum, ut a magistratu christiano ad mortem rapiatur homicida. Nam LL. positivæ vet. Test. christianos

Affirmativa probatur.

Nam pena capitalis homicidarum non venit ex iure naturæ.

Nec iure diuino voluntario, christianos principes obligante.

*Responso ad
dictum Ge-
nes. IX.*

stianos principes neutiquam obligant, alioquin iidem adhuc legem de necandis adulteris vbique tenerentur obseruare. Data quidem est statim post diluvium Noæ lex, vt eius, qui sanguinem humanum effudit, sanguis vicissim effundatur. At hæc quoque fuit non nisi lex positiva quæpiam, nostra tempora minime concernens. Nimirum cum iam ante diluvium gigantum ætate promiscua inualuisse cædium licentia, instaurato post diluvium humano genere, ne mos idem inualeceret, tam seuere Deus homicidium puniri mandauit. Nulla autem prorsus est consequentia: Deus ob certam causam post diluvium *Genes. IX.* mandauit, vt homicida capite plecteretur, ergo magistratus hodieque tenetur, tam graui poena homicidam interficere. Non sequitur, inquam, præsertim, si appareat, homicidam non obscura pœnitentia documenta edere, & in promptu sit aliud remedium, quo a delinquendo homines absterreri possint. Eodem *Genes. Cap.* commestio sanguinis prohibetur, quæ hodie tamen omnino est licita. Non itaque omne, quod capite hoc *IX.* prohibetur, iure perpetuo & immutabili prohibetur.

*Item ad obie-
ctionem ex
Apoc. XIII.*

Ex nouo testamento afferri cum primis solet illud *Apoc. XIII.* *Qui gladio occidit, eum gladio occidi oportet.* Verum nec hic locus probare est idoneus sententiam, quam nos impugnatain imus. Agit enim ibi apostolus, patientiam commendaturus, de persecutoribus ecclesiarum, & docet, eos grauissimas poenas Deo datus, ipsumque seuere vindicaturum illatas piis iniurias. Hinc subiicit: *In hoc sita est spes & patien-
tia sanctorum.* Ad eundem modum intelligi oportet, quod Christus Petro ait *Matt. XXVI. v. 52.* *Conuerte gladium in vaginam, nam, qui gladium sumferit, gladio peribit,*

peribit. Recte enim verba hæc sic expónit Hugo Gro-tius: Noli Petre, consideratione eius, quod mihi infertur, iniuriæ concitatior Deo præripere vltionem, leuia enim sunt vulnera, quæ a te pati possunt. Stat enim rata sententia, crudeles istos & sanguinarios, etiam te quiescente, grauissimas Deo datus os pœnas suo sanguine. Bene scilicet Tertullianus: *ad eo satis idoneus patientia sequester Deus; si iniuriam deposueris pœnes Deum, vltor est, si dolorem, medicus est, si mortem, resuscitator est. Quantum patientia licet, ut Deum habeat debitorem.* S. Augustinus, ipsos Donatistas, qui catholicos Presbyteros persecuti erant, & trucidarant, atque ita omnino pœnam capitis meruerant, citra mortis pœnam castigandos esse monet *epistola CLIIX.* Pœna, ait, sane illorum, quamvis de tantis sceleribus confessorum rogo te, ut preter supplicium mortis sit, & propter conscientiam nostram, & propter catholicam mansuetudinem commendandam, & *epistola seq.* ad Marcellinum Comitem ita scribit: Circumcelliones illos & clericos partis Donati, quos de Hipponeensi ecclesia ad iudicem pro factis eorum publicæ disciplina cura deduxerat, a tua nobilitate compri auditos, & plurimos eorum de homicidio, quod in restitutum Presbyterum commiserunt, & de cæde Innocentii alterius catholici Presbyteri, atque de oculo eius effosso, & de digito præcisso fuisse confessos. Vnde mihi sollicitudo maxima incussa est, ne forte sublimitas tua censeat, eos tam legum severitate plectendos, ut qualia fecerunt, talia patientur. Ideoque his literis obtestor fidem tuam, quam habes in Christo, per ipsius Domini Christi misericordiam, ut hoc nec facias, nec fieri omnino permittas. Quamvis enim ab eorum interitu dissimulare possemus, qui non accusibus nostris, sed illorum notoria, ad quos tuenda publi-

*consensus
Augustini.*

cæ pacis vigilancia perinebat, præsentari videantur examini. Nolumus tamen passiones seruorum Dei, quasi vic talionis paribus suppliciis vindicari. Non, quo sceleris hominibus licentiam facinorum prohibeamus auferri, sed hoc magis sufficere volumus, ut vicini & nulla corporis parte truncati, vel ab inquietudine insana, ad sanitatis otium legum coercitione dirigantur, vel a malignis operibus alieni vitili operi deputentur. Sed quis non intelligat, magis beneficium, quam supplicium nuncupandum, ubi nec faci endi relaxatur audacia, nec paenitendi medicina subtrahitur? Imple, Christiane iudex, pii patris officium, sic succense iniquitati, ut consulere humanitati memineris. Quod si autem magnus ille Hipponeñsium episcopus capitalia supplicia in homicidas iure diuino naturali, vel iure aliquo diuino posituo in perpetuo constituta esse existimasset, neutquam pro Donatistis tot homicidiorum reis intercessisset. Andreas Ruetus, Theologus Reformatus, ad quæstionem: an vir pius pro homicida intercedere posset? respondet in hunc modum: *Esse nonnullas culpas, in quibus id licet, quod olim Paulo licuit, qui pro Onesimo seruo fugitivo intercedebat, non dubitamus.* Etiam id in crimenе homicidii, non tantum casualis, sed aliquando etiam ex impotentia animi, præserit, si etas minor sit, & spes emendationis certa, aut si quis inciderit in crimen, cuius magna sint merita, & id videatur requirere publica utilitas, si modo alia ratione legis scopus attingi possit, qui præser tis est, ne, qui crimen admisit, impunitate abutatur, & reliquis sit exemplo. Quamuis itaque difficeri neque am, tantam esse magnæ partis hominum improbitatem, ut nisi quorundam morte reprimatur scelerum auda-

Et Andreæ
Rueti.

audacia, satis tuta esse non possit innocentia: tamen non spernendum existimo cum Hugone Grotio de L. B. & P. L. 2. c. 20. n. 12. illud Quintiliani: *nemo dubitauit, quin si nocentes mutari in bonam mentem aliquo modo possint, sicut posse interdum conceditur, saluos esse e republica magis sit, quam puniri, videlicet poena capitali.* Atque hæc de foro reipublicæ dicta sunt. Cum proximo Theophilus noster, in cuius gratiam nunc ingressi sumus disputationem hanc, reconciliatus iam est, quantum intelligimus, ut de hoc quidem foro amplius non sollicitos esse haud oporteat. Ecclesiæ vero satisfieri debet per publicam pœnitentiam, nisi eam in pœnam pecuniariam forre commutet &c. Nec dubium est, quin hoc pacto facilius apud Deum, seu in foro diuino possit impetrare veniam reus, si non verecundetur in ecclesia publice delictum a se commissum confiteri. Magna enim vis est precum, quas tota ecclesia pro peccatore pœnitente fundit, præsertim si pœnitens ipse serio eas efflagitet. Non vero est, quod homicida de diuina misericordia desperet, si serio doleat de peccato suo, fiduciamque venie impetranda in merito Christi collocet, & recte se deinceps gerendi firmum propositum concipiat &c. &c.

2. Forum
laeti.

3. Forum
ecclesiæ.

4. Forum
diuinum.

* Reliqua plura, quæ apud Henichium in illo responsu sequuntur, lubens hic omitto, cum a nostro scopo aliena sint, ut contineant vide-licet multa testimonia scripturæ & dicta patrum ad consolationem pœnitentis & adhortationem ad vitam sanctam, item ad dandas eleemosynas pertinentia.

Responsum Facultatis Iuridicæ
Hallensis mense Julio 1703.

P. P.

Als derselbe uns die wider den Hauptmann V. H. von B. wegen begangener Entleibung an den Lieutenant von K. ergangene Inquisitions-Aeten in dreyen Voluminibus und einer Frage zugeschickt w. demnach ic.

Hat der Hauptmann V. H. von B. den Lieutenant von K. in einem duell entleibet, worauf jenem durch ein zu Leipzig gesprochenes Urtheil die Strafe des Schwerdtes zu erkennen worden; hat besagter von B. Seine Hochfürstliche Durchlauchtigkeit zu A. beweglich angesuchet, die ihm zuerkannete Todes-Straffe in eine Geld-Busse zu verwandeln, und es will derselbe berichtet seyn, ob Seiner Hochfürstl. Durchlauchtigkeit in hoc casu das ius aggratiandi zukomme?

Ob nun wohl die fast allgemeine Meynung derer Rechts-Gelehrten dahin zielet, daß in denen delictis, denen in heiliger Schrift die Todes-Straffe zuerkennet worden, absonderlich aber in dem Todtschlage, keine weltliche Obrigkeit Macht habe, die Todes-Straffe zu erlassen oder in eine geringere zu verwandeln, zumahl da der Allerhöchste Gott nicht nur alsbald nach der Sündfluth dem Noä und seinen Nachkommen das allgemeine Gesetz publiciret: Wer Menschen-Blut vergeuft, des Blut soll wieder vergossen werden, (a) sondern auch dieses hernach durch Mosen in der Israelitischen Republique wiederholet, (b) und ausdrücklich verbiehen

(a) Genes. IX. v. 6.

(b) Exod. XX. v. 12.

biethen lassen, daß man keine Geld-Straffe von dem Todtschläger nehmen solle, sondern daß das durch vergossenes Menschen-Blut verunreinigte Land wiederum durch Ver-gießung des Bluts des Todtschlägers versühnet werden müsse, (c) und wenn gleich einige von denen Evangelischen Theologen ausgeführt, daß eine christliche Obrigkeit die einem Todtschläger dictirte Todes-Straffe in eine geringere verwandeln, oder gar außheben könne, sie dennoch solche nur auf denjenigen casum restringiret, wenn der Todtschläger seine That herzlich bereuet, und signa veræ & seriæ poenitentiaæ gegeben, (d) welches aber auf gegenwärtigen Fall nicht wohl scheinet appliciret zu werden können, indem aus denen übersendeten actis nirgend zu sehen, daß der von B. herzliche Reue und Leid über den begangenen Todtschläge bezeuget, sondern vielmehr zwar der Meynung ist, daß er nicht vor einen vorseklichen Todtschläger zu halten sey, jedenoch aber seine dißfalls angeführten Gründe in der sententia Dnn. Scabinorum Lipsiensium genugsam abgelehnet worden, er auch sich nicht getrauet, die ihm anderwerts nachgelassene defension zu führen, sondern sich lediglich Sr. Hochfürstlichen Durchlauchtigkeit Gnade submittiret und 2000. Rthlr. ad pios vsls zu geben erbothen. Dietweil aber dennoch bewehrter Evangelischer ICorum und Theologorum Meynung für begründeter zu achten, daß lex divina naturalis & vniuersalis zwar dieses befahle, quod delinquentes puniendi sint, die determination aber aller Straffen auch in denen delictis contra ius naturæ, ja auch in homicidio doloso dem arbitrio weltlicher Obrig.

G 3

Reit

(c) Numer. XXX. v. 31. 33.

(d) D. Philipp. Ludov. Hanekenuis integrō Tractatu de iure Gratiae Principis Christiani.

keit heimzulassen sey (e) und also ad leges positivas humanaς gehöre, in welchen unsreitig aller weltlichen Obrigkeit, vielmehr aber einem christlichen Fürsten das ius aggratiandi zustehet: ferner nach der bewährtesten und ältesten Jüdischen Scribenten Auslegungen, die in dem Gesetz vom Blutessen angehengte commination, wer Menschen-Blut vergeust, daß dessen Blut wieder vergossen werden soll, pro lege proprio dicta nicht zu halten ist, (f) und was hernach von der Straffe des Todtschlägers in dem Mosaischen Gesetz enthalten, nicht ad leges morales, sondern ad leges Mosaicas forenses gehört, (g) welche bloß die Jüden, nicht aber die Christen im neuen Testamente verbündet, (h) über dieses auch, so viel das Mosaische Gesetz selbst betrifft, dasselbe nicht der Gestalt zu interpretiren, als wenn auch denen Jüdischen Obrigkeit kein ius aggratiandi darüber zugestanden, sondern das præceptum de puniendo capitaliter homicida pro naturali & indisponsabili zu achten wäre, indem ja anfänglich GODselbst dem Cain die Todesstrafe erlassen, (i) cum tamen Deus circa ius naturale dispensare non possit; hernach aber quantum ad legem Mosaicam nicht nur abermals die Jüdischen Rechts-Lehrer dahin zielen, daß dieses Gesetz nur dahin sein Absehen richte, wenn ein Jude, nicht aber, wenn ein Proselyte oder Händle getötet worden, (k) auch sonstson andern limitationibus unterworffen seyn,

(e) Casp. Ziegli. de Iurib. maiest. L. 1. C. 5 §. 56. D. Hannek. d. tractatus C. vlt. §. 5. n. 2. vers. Inde perperam sentire &c. & n. 6. verbis: Lege forensi iudeorum constitut.

(f) Seldenus de I. N. & G. sec. discip. hebr. l. 4. c. 1. p. 481.

(g) D. Hannek. d. cap. vlt. §. 5. n. 6.

(h) D. Chemnitius Loc. Theol. loco de lege Dei c. 4.

(i) Gen. IV. 15. D. Hannek d. cap. vlt. §. 3.

(k) Selden. d. l.

sey, (l) sondern auch die heilige Schrift selbst klar besetzt, quod rigor legis Mosaicæ in nonnullis casibus moderationem accipiat, in Betrachtung, wenn ein Herr seinen Knecht umgebracht, und der Knecht nicht alsbald gestorben, der Herr gar mit keiner Strafe angesehen worden, (m) da doch die leges diuinæ vniuersales allen Menschen, und also auch denen Knechten zu gute kommen, und ferner, der Mann nach dem Herzen Gottes, David, in dem ihm von der flugen Frauen zu Thekoa vorgetragenen casu das ius aggratiandi gegen einen vorsezlichen Todtschläger, der seinen eigenen Bruder ermordet, exerciret, (n) und weiter seinen Sohn Absalon, der gleichfalls seinen Bruder Ammon dolose und mit Vorsatz umgebracht, eben dieses iuris aggratiandi geniessen lassen, (o) und der casus der flugen Frauen zu Thekoa auff gegenwärtigen Fall um so vielmehr zu appliciren ist, in Betrachtung der Hauptmann von B. den Lieutenant von K. nicht hinterlistiger Weise, sondern gleichfalls Mann für Mann in einem abgeredeten duell entleibet. Im übrigen aber aus erwähnten Exempeln deutlich zu sehen, daß die restrictio iuris aggratiandi in causa homicidii ad eum solum casum, vbi homicida seriam poenitentiam egerit, in heiliger Schrift nicht gegründet sey, indem eines theils Cain von Gott selbst mitten in seiner Unbußfertigkeit und Verzweifelung an Gottes Gnade, (p) aggratiert worden, anderes theils in dem von der Frauen von Thekoa proponirten casu nichts von des Todtschlägers Busse

(l) Seldenus *ibid.* p. 482.

(m) D. Hannek. d. l. c. 3. §. 3.

(n) 2 Sam. XIV. v. 10. 11. D. Hannek. d. tract. c. 3. §. 1. & 3.

(o) 2 Sam. XIV. 21. & 33. D. Hanneken. d. l. c. 4. §. 3. in fine.

(p) Gen. IV. v. 13. 14.

Busse zu lesen, sondern aus denen Umständen vielmehr des-
sen Unbüßfertigkeit præsupponiret worden, (q) und endlich
des pardonirten Absalons Unbüßfertigkeit, von Heil. Schrift
mit deutlichen Worten bemercket wird, (r) zu geschweigen,
daß, so das ius aggraciandi in dem Fall, wann der delin-
quent wahre Herzens-Busse gethan, statt finden kan, solches
vielmehr auch auf diesen Fall zu appliciren, da derselbe in sei-
ner Unbüßfertigkeit verharret, damit ihm die Zeit zur wahren
Neue und Bekehrung nicht abgeschnitten, und er auf solche
Weise nicht allein mit dem zeitlichen, sondern zugleich mit
dem ewigen Tode bestraffet werde.

So erscheinet daraus allenfallsen so viel, daß Se.
Hochfürstlichen Durchlauchtigkeit zu A. da nicht sonst etwas
bedenkliches im Wege stehen solte, dem Hauptmann von B.
des gebetenen iuris aggraciandi getriessen zu lassen, wohl be-
fugt sey. Er ist aber auf solchen Fall wegen der bei dieser

Sache vorkommenden ihn sehr grauirenden Um-
ständen seinem Vermögen nach, auf 4.
bis 5000. Rthl. zu bestraffen.

V. R. W.

(q) 2 Sam. XIV. v. 6. 7.

(r) 2 Sam. XV. v. 32. & tot. cap. seq. XVI.

E N D E.



ANR 642